

Clarissime, et Eruditissime Domine. Accepi librum tuum de Sacri Romani Imperii septemviratu, et continuo totum perlegi. Ex eo cognovi multiplicem doctrinam tuam cum pari pietate conjunctam. Utinam multos similes Jureconsultos haberemus, qui non solum jura, et glossas, sed etiam historias, quibus res gestae magnorum virorum ad posteritatis memoriam consecratae leguntur, diligenter pervolutas-
sent. Utinam jus electionis Caesareae ad inclytam Bavaricam gentem, ut satis docte demonstras fieri debere, diebus nostris rediret. Quod vero ad me attinet; in primis ago gratias pro munuscula: deinde sig-
nifico prudentiae tuae, miratum me vehementer fuisse aliquos, qui di-
cerent, non carere admiratione, quod Bellarminus veritati, et consci-
entiae suae tam rotunde contradicat: sic enim lego in libro tuo ca-
pite tertio, objectione septima, pag. 10. Conscientiam vero meam iste concionator ubi ~~ita~~ viderit nescio, nisi forte in mendacio suo: sic
enim ipse loquitur. Recte autem obijci posse Bellarmino, quod Syrus ille apud Comicum ait: tu nescis, id quod scis, si sapis. Concesso enim, quod populus posterioribus temporibus, sicut contra, et elec-
tioni, una cum Principibus, et Regni Proceribus interfuerint; con-
cedendum quoque esse, etc. At ego numquam concessi, sed semper nega-
vi, posterioribus temporibus, id est post imperium Othonis Tertii, Populum cum Principibus electioni interfuisse. Itaque sententia mea non conscientiae meae, sed mendacio istius rotunde contradicit. Pro-
inde rem gratissimam mihi fecisses, si in responsione, quae habetur cap. 7. 6. 8. pag 106 et 107. addidisses verba mea nec veritati, nec
conscientiae meae contradicere. Id quod ex lectione libri mei tertii de Translatione Imperii c. 2 nullo negotio demonstrari potuisset. Ad-
dam si placet quid in libro tuo, alioqui optimo, ego desiderem. Il-
lud unum est, ut accurate, et ordine respondisses ad historicam de-
monstrationem Onuphrii, quam ego in summam redegi in libro tertio
de translatione Imperii cap. 2. jam citato, alterum est in cap. 6.
ubi probare intendis, a quinque saeculis septemviros exstitisse: ne-

/ scio enim an id praestiteris: nam pag.64.num.4. ubi citas Arnoldum
in Historia Slavorum de anno 1108. Electores nominantur, non septem-
viri, sed maxima pars Principum: et additur in fine, hos fuisse Prin-
cipes, ad quos electio Regis pertinere videbatur: et hunc locum ad-
5 duco exempli causa: nam multi sunt alii Auctores a te citati, qui
de electione Regis loquuntur, sed non dicunt Electores esse tantum
septem, neque nominant illos, qui post tempora Friderici Secundi ab
omnibus cognoscuntur, et nominantur Principes Electores, sed nomi-
nant plurimos Principes qui ad electionem conveniebant. Et fortasse
10 non invenies, praeter eos, quos ego adduxi, aliquos antiquiores, qui
disertis verbis meminerint septem Electorum. Haec pauca cum bona t
tua venia annotanda duxi: et iterum, atque iterum confirmo, librum
tuum videri mihi eruditum, et dignum, qui ab omnibus teratur. His va-
leas, et si qua in re tibi profdesse possum, libere mandes: diligo
15 enim homines tui similes, pios, et doctos. Romae die 23. Januarii 1616.

Epist.famil. CXXX.

.....

f.Dorotheo Beterra da Brescia

Ho dato la lettera al S/to Offitio, et dicono che provederanno; io
non mi ricordo haver scritto lettera, et non ho manco visto le con-
10 stitutioni.

Al P. M/ro Palazzo, che parli al Papa della dottrina greca del
Sig/or Carofilo. item delli cinque corpi di libri del Dottor Gewol-
do consigliere del Duca di Baviera.

Arch.Vatic.Mss.Gesuit.18 fol.75 verso.